

veluti gravibus admodum Praesidii et Confiniorum operibus et Vicinitate Valachorum aggravatarum: Nec non Liberae quoque ac Regiae Civitatis Montis Graecensis Zagrabiensis, alioquin ipsa loci sterilitate afflictæ, in Taxarum impositione, benignam se rationem habere velle clementer obtulit; pro eo suae Majestati, Status et Ordines humillimas agunt gratias. \*)

*Negotium Pagi Hlebine, Commissione mediante complanetur.*

### Articulus 95.

Et quia Civitas Caproncensis, certum unum Pagum Hlebine vocatum, in Territorio suo, non ita pridem a Domino loci illius Capitaneo locatum, certa etiam Promontoria, Jura Montana, Terras et Foenilia, ac alia bona sua et suaे Parochiae, per Antecessores moderni Domini Capitanei, ejusdem loci occupata, jam quoque per eundem Dominum Capitaneum detineri; Civitas vero Crisiensis certos Sclavos et Praedaucios cum quatuor circiter Domibus Valachorum in Territorio Superioris Civitatis locatos, debitam obedientiam antea dum locarentur promissam; vel postmodum a Dominis Commissariis, in Anno Domini 1635. adjudicatam detrectare, et alias etiam vicinos Valachos, Sylvas ac Territoria ejusdem Civitatis ulterius occupare conqueritur.

§. 1. Dignum proinde censem et supplicant Regnicolae; ut praemissae Justae ipsarum Civitatum instantiae, ad benignam suaē Majestatis demandationem, per specialem aliquam particularem Commissionem, illis duabus Civitatibus clementer elargiendam et primo quoque tempore ordinandam, medio certorum Minorum Commissariorum, videlicet; Reverendissimi Domini Petri Petreticz, Episcopi Zagrabiensis: Domini Francisci Chikuliny et Domini Vice-Bani illius Regni (non obstante unius absentia) ex parte Regni ordinatorum et aliorum a sua Majestate, ex Interiori Austria illuc ordinandorum; complanentur et effectuentur. \*\*)

*De publicatione Privilegiorum et Gravaminum ac Metarum Maritimorum Civitatis Segniensis complanatione; Articuli, modo in iisdem specificato exequendi; renovantur.*

### Articulus 96.

De Civitate Segniensi (quae fere sola in partibus Maritimis pro Sacra Regni Corona restaret) in suam libertatem vindicanda, Sacraeque Coronae Jurisdictioni applicanda et Privilegiis ejusdem ex Cancellaria Ungarica obtentis, publico statuto confirmatis (Salva Jurisdictione Militari) libere publicandis et exercendis; Gravaminibusque ejusdem Civitatis et aliis metis, ac Terroriis Maritimis et Croaticis, pro Regno et Familia Frangepanica determinandis et complanandis; reno-

\*) Similiter renovatur; An. 1681. a. 78.

\*\*) Renovatur; An. 1681. a. 78.